

nem attendit , negativo quodam modo se intelligit, & hanc demum intellectionem, saltem dignitatis , naturę & distinctę cognitionis ordine, præcedit intellectio Dei magis positiva , quippe rei perfectissimæ, primæ, dignissimæ.

I. Theologi plerique priùs agunt de Scriptura sacra , quām de Deo quamvis non modò ipse Deus , sed etiam cognitio Dei Scripturam distinctamque Scripturæ intellectionem antecedat. Cur ergo vitio nobis vertant , quòd à mente nostra , cui Dei imago inscripta est, Philosophiam ordinamur , etiamsi Deus non tantū mente nostra prior existat , verūm etiam cognitio Dei aliqua aliquā cognitione mentis nostræ sit prior ? De objectione posteriore alias sequitur Exercitatio.

EXERCITATIO X

Cogitationes nostras de Infinito non esse potius negativas quām positivas existimandas.

I. **V**ocabula, quibus in Dei attributis explicandis utimur , plurima esse negativa, minimè inficias imus : negamus verò *conceptus* nostros , quas habet mens humana , meditatione & studio sapientiæ excul-